

bilem dicitur substantiam. Trinitas uero propter
 personarum diuersitate uocatur. In personis enim dis-
 cretio est. In diuinitate nulla distinctio. Est enim gignens.
 genitus. & procedens. Tria quidem nomina. Sed substan-
 tia una. Sicut ignis calor & calor. Tria quidem uocabula
 sed res una. **IN RELATIONE** enim personarum trinitas est.
 In substantia uero nature unus deus est.

PATER scilicet & filius & spiritus sanctus de patre enim quia
 deus est. Apostolus testatur dicens. unus deus & pater
 ex quo omnia. **ITEM** de filio qui ad deum est alius ipse dicit
 quorum pater & ex quibus Christus secundum carnem
 qui est super omnia deus benedicitur in saecula.

DE SPIRITU autem sancto qui ad deum est. item qui supra sic
 dicitur. Diuisiones donationum sunt idem autem spiritus
 diuisiones operationum sunt idem uero deus.

ECCLE PATER & filius & spiritus sanctus deus. sed non triplex
 deorum numerus in illa trinitate credendus.

Scriptum est enim ego sum & non est alius praeter me.
 & illud dauid in tabernaculo domini deus tuus unus est deus.

Tres ergo deos credere profanum est. Trinitatem
 in personis non distinguere impium est.

III IN PERSONA PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI

Ita discernitur quod pater nec factus nec natus est.
 filius natus non factus spiritus uero sanctus nec natus nec
 factus sed ex patre procedens est. Proinde pater aeter-
 nitatem habet sine natiuitate. Filius natiuitatem
 cum aeternitate. Spiritus uero sanctus processionem sine nati-
 uitate. **PATER** ex nullo exordium ducit.